

Cap. XXXIII. De forma sacramenti ambaxiatorum et eorum officio. R.ca.

Iurabunt ambasatores comunis Tergesti eorum ambasariam legaliter exercere, et facere offitium sibi commissum secundum quod per dominium eis fuerit ordinatum, et quam citius poterunt eorum ambaxariam fideliter expedient, et dominium eisdem dare teneatur ambaxariam in scriptis, quam ipsi ambaxatores in scriptis accipere teneantur et eam retrahere cui per dominium Tergesti fuerit remissa. ¶ Qui ambaxiatores si iverint per mare ad aliquas partes, tunc habeant quilibet ipsorum sold. viginti par. pro quolibet die et eisdem solvatur barcha cum marinariis per comune, in eundo et reddeundo; et tales ambaxiatores habere debeant secum unum domicelum pro quolibet ipsorum tot diebus quot steterint in ambaxata.

¶ Et si iverint per terram habere debeant et conducere duos equos pro quolibet ipsorum ambaxiatorum, quorum unum pro persona talis ambaxiatoris et alterum pro persona sui domicelli, et ipsos tales equos tenere suis expensis toto tempore eorum offitii ambaxarie. ¶ Et habere debeant tales ambaxiatores euntes sic per terram sold. quadraginta par. pro quolibet ipsorum et pro qualibet die, et si aliquis notarius iret in servitium comunis, tam cum ambaxiatore vel alio modo, habere debeat pro suo salario, si iverit per mare vel per terram, quem ad modum habet unus ambaxiatorum predictorum, et secum conducere et facere prout quilibet // ambaxiatorum. ¶ Et si

ipse notarius iverit ad presentandum cum ambaxiatoribus potestariam alicui potestati, scribere teneatur omnia statuta facientia ad potestariam et scribere sindicatum et secum portare, ut in statuto supra de electione potestatis continetur, et habere debeat gross. duodecim pro sindicatu tantum et nichilominus salarium supra dictum. ¶ Et si aliquis socius domini potestatis iret in aliquam ambaxiatam comunis Tergesti cum voluntate domini potestatis et suorum iudicum, habeat tantum quantum alius ambaxator comunis. ¶ Et si ipsi equi vel aliquis ipsorum, sic conducti per ipsos ambaxiatores vel notarium, morirentur aut furarentur vel devastarentur aut modo

55 A